

1567 antea fecerat , ac maxime optabat , amico Regi opem ferre nequivit .

*Praelium
inter Regios
& foederatos.*

Anno Momorantii obitus.

Ceterum in Gallia , lata planitie , inter Lutetiam , ac Sandionyfium fita , acie decertatur . In foederatorum exercitu mille ac quingentos equites , pedites mille ac ducentos tantum fuisse ferebatur , Andelotio cum peditatus flore , ac magna equitatus parte ad Posiacum digreffo ; regium ex trium millium equitatu , octoginta peditum vexillis , sex Helvetiorum millibus , ex quibus decem & octo millium summa conficeretur , constitiffe . Foederati initio acriter adeo certamen inierant , ut ab illis victoria stare videretur . Verum Momorantius ingenti ardore in hostes se se inferens , disiecto peditatu , haud dubiam victoriam reportavit . Sed eo inter dimicandum vulnerato , atque eodem tempore Condæo ex æquo prolapfo , dum hinc atque inde ad opem ducibus ferendam accurritur , nox prælium diremit . Regii campo potiuntur , interfecti , ac faucii ad trecentos ex iis fuere ; ex foederatis duces quinquaginta , trecenti equites , pedites permulti . Postridie Andelotio cum reliquis copiis superveniente , ad pugnam foederati regios elicere nituntur ; qui Momorantii obitu , ac , ne in perampla civitate tumultus suboriretur , metu , intra Lutetiam se continent . Inde viribus aucti , Sandionyfio , vicinisque oppidis relictis , in Lotharingiam ad Germanorum subsidia , quæ a Cafimiro submittebantur , excipienda foederati proficiscuntur . Ad ea impedienda , atque ad Joannis Gulielmi Saxonum Ducis , Badensisque Marchionis trium peditum millium subsidia recipienda , Humallium eodem contendere Carolus præcipit ; Lansacium ad Rhenanum Palatium , aliosque Germanos Principes mittit , qui pro antiquo amicitiae cum Gallis jure petat , ne illus perduelles juvare pecunia , aut milite velint . Momorantii loco Henrico fratri , Andegavensium Duci , copiarum imperium defert : summi nominis duces præconsultores adolescenti adjungit . Is statim Lutetia discedens , Arimbergio Comiti , qui cum mille ac ducentis equitibus , duobus peditum millibus , ex foedere cum Philippo Rege a Carolo inito , in Galliam adversus Protestantes ab Albano mittebatur , obviam contendit .

*Henrico
Andegavensi Duci
copiarum
regiarum
imperium
defertur .*

Dum inter belli vehementiores apparatus , externarum copia-